FRANCKESCHE STIFTUNGEN

Alte Drucke

PROPEMPTICON, || CLARISSIMO || VIRO, VIRTV=||TIS, DOCTRINÆ ET || sapientiæ laude præstanti, Dn. M. CON-||RADO BERGIO Colbergensi Pomerano, || ...

Tabbert, Lukas

Vitebergae, 1578

VD16 ZV 30574

Nutzungsbedingungen
Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.
Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.
Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use
All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.
Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.
For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-149068

Visual Library

PROPEMPTICON,

CLARISSIMO VIRO, VIRTUTIS, DOCTRINÆ ET sapientiæ laude præstanti, Dn. M. CONRADO BERGIO Colbergensi Pomerano, Professori Oratoriæ facultatis in inclyta Academia VVitebergensi; cum Sedinum iret, ad gubernationem illustris Pœdagogij ibidem, Præceptori suo omni obseruantia colendo:

SCRIPTVM

A

LVCA TABBERTHO

Sedinensi P.

VVITEBERGÆ

Excudebat Matthæus VVelack,

Typis Iohannis Schwertelij.

Anno Gratiæ CIↃ IↃ LXXIIX.

4/5.

FRANCKESCHE STIFTUNGEN

ESt locus irriguus flauentis ad Albidos
vndas,
Quà miſcet varios plumea turba
ſonos.
Hic ego multa meo tacitus dum pectore voluo,
Qualia mens ſecum libera multa ſolet:
Ecce procul clarum flammis & luce coruſca
Fulgentem video plectra mouere chorum.
Junctaq; percipio blandæ modulamina vocis,
Jucundis cœlum perſonat omne modis.
Subſiſto paulum, cantus dulcedine captus,
Et fixis oculis viſa notare iuuat.
Vt propior chorus ille venit, non ferre nitorem
Talem oculos noſtros ſentio poſſe diu.
Quippe quis ad Solem rectos extendere vultus
Hosq; amens nimia lædere luce velit?
Non aliter, multo hic cœtus ſplendore refulget,
Ceu nix, ſeu Phœbus candidus orbe micat.
Auerto vultus, & greſſus vertere tento,
Omnia ſed ſubito membra tremore ſtupent.
Non mora, ſermo meas talis peruenit ad aures,
Sub tanto & præſens lumine numen erat:
Quid trepidas iuuenis Clarii cupidiſſime fontis,
Quos modò cepiſti pectore, pone metus.

Numina nostra animos nunquam terrore fatigant,
Ingenio miti blandaq; turba sumus.
Quin quæ mente agitas, ea claras prome sub auras,
Nostra opera hinc omnis prompta futura tibi est.
En Cyllenæamq; lyram, clypeumq; coruscum,
Pythoniq; simul tela inimica vides.
Quæq; nouem sunt hic forma præstante sorores,
Hæ sacro assiduè monte Helicone manent.
Patria tecta petet virtute politus & arte,
Qui clarum è patriæ nomine nomen habet.
Ignotus minimè est nobis, certare fatemur
Hunc solitum toti sæpe Helicone choro.
Venimus huc, vt fausta illi patriæq; precemur,
Quæ certa antiqui signa fauoris erunt.
Ipsius hæc mea dicta celer nunc perfer ad aures,
Omine percipiet gaudia læta bono.
Dixit, & inde mouens citharam, gutturq; canorum,
Heroo hæc cecinit carmina facta pede.

APOLLO.

MActe animo BERGI doctarum magna sororũ
Gloria, præsidiumq; tuæ virtutis & artis
Pulpita Leucoridos fama celebranda perenni,
Conscia sunt, sensitq; suos studiosa iuuentus
In studiis fructus; facundaq; fundere verba

Et

Et mentes didicit premere, aut quoq; tollere mentes,
Et mulcere illas dictis, cùm fortè coorta est
Seditio in populo; vitæq; quid vtile, quid non
Monstrare, & rectè sua præmia reddere factis;
Multiplicesq; foro exortas decernere lites.
Nunc oris quoniam tentas discedere nostris,
J felix, patriæq; tua sis vtilis arte;
Quæq; diu iacuère satis moderare Lycea,
Quà clarum tangit diues Viadri vnda Sedinum.
Et tibi quæ ferimus gratanti carmina voce,
Quasq; viæ adiunxi comites, Heliconis alumnas,
Sinceræ mentis non auerseris honorem.

CALLIOPE.

QVI telum, clypeum, qui gerit & lyram,
Non frustra iuuenis dicitur optimus.
Sunt vires vegetæ corporis, & vigor
Est præstans animi, Pieridum sacrum
Et rectè sapiens ille regit chorum.
Atq; hæc cuncta manent perpetuò bona,
Non cani veniunt, nec senium graue,
Sed vires animo & corpore permanent.
Huic sicut Iuueni est perpetuus vigor:
Sic, credo fieri, permanet inclyta
Laus Musis, honor, & splendida gloria.

Quam non vel poterunt secula tollere
Infinita, sed vt tempora, sic decus
Musarum egregium constat, & enitet.
Atq; hi quos labor, & quos agitat vigil
Discendi studium, difficiles vias
Parnaßiq; terunt, & veniunt sacri
Ad montis iuga, sunt egregio viri
Digni nomine. Quid? Sunt nitido polo
Digni qui sedeant, atq; iubar suum
Ostendant, quoties æquora Sol petit,
Et stellæ reliquæ fluctibus è maris
Assurgunt; veluti qui medicas probè
Artes Phillyrides calluit, emicat:
Orionq; simul lumine splendidus
Latè sub rutilo conspicitur polo.

CLIO.

Ergò sidera vel cadant polo alto,
Vel sit densa prius die vmbra toto.
Et Sol officii immemor, tenebras
Expellat minimè: tuum interire
Quàm nomen queat, & decus perenne
Non famæ volitet virùm per ora.
Sic Musis placuit, sacerq; Apollo
Mandauit, meritusq; perspicaci es

BERGI

BERGI mente: Etenim velut cadentes
Irrigant pluuiæ solum, iuuantq;
Herbas, & segetes; salubre veris
Cùm tempus redit, altiorq; Phœbus
Vmbras contrahit, & calore leni,
Sunt quæcunq; solo, fouet benignè:
Sic doctrina tuo fluit salubris
Ore, & corda rigat rudis iuuentæ,
Vt tandem velut arbores feraces,
Hi fructus quoq; præbeant amœnos,
Et quæ grata Deo, simulq; toti
Vitæ commoda sint, agant decenter.

THALIA.

O decus quantum tibi surgit inde,
Splendor & famæ eximius, fouere
Quòd studes virtute graues, & arte,
Leucoris alma.
O beatum terq; quaterq; tempus
Magne quo LVTHERE sonas fideli
Voce, constantiq; animo tueris
Dogmata sancta.
O beatum terq; quaterq; tempus
Quo MELANTHON magne iuuas labore
Res

Res sacras, illasq; opera fideli
Sedulus vrges.
Illius nunc temporis vmbra tantum
Restat, & vix mente licet sagaci
Assequi, quàm tunc fuerint sub orbe
Aurea secla.
Sed tamen qui cuncta Deus gubernat,
Is tibi clemens alios, ad vsq;
Tempus hoc virtute viros celebres
Arteq; donat.
Mente quæ tecum memori teneto,
Quamdiu salua est ratio; vigentq;
Corporis vires, liquidaq; sana
Vesceris aura.
Immemor sed si vigiles labores
Spreueris tantorum hominum, peristi,
Et Dei haud vnquam effugies seueram
Vindicis iram.

ERATO.

Verùm sic patriæ trahit
Te BERGI altus amor, linquere vt has velis
Terras, tantus vbi tui
Splendor nominis est, tamq; frequens adest
Insignis

Insignis iuuenum chorus,
Artes qui vigiles percipiunt bonas.
Vel spectes cupidos equos
Phœbi, cùm veniunt fluctibus è maris;
Vel quando Oceanum petunt,
Et clarum abripiunt præcipites diem;
Vel tandem videas polum
Qui densa glacie perpetuò riget;
Vel vertas oculos, vbi
Terras æstus habet perpetuò grauis:
His cunctis veniunt locis,
Qui doctas cupiunt discere litteras.
Vt quisque optimus est, ita
Doctor spissa theatri cupit agmina.
Quis curam patriæ putet
Quis talem esse bonis mentibus insitam,
Vt dum salua ea sit modò,
Tunc incommoda vel maxima perferant?
Sed te præterea mouet
CONRADE altera caussa, atq; vides probè,
Hæc quòd sic placeant DEO,
Qui cunctas hominum res sapiens regit.
Quo te cunque igitur DEVS,
Dilectæ & patriæ cura vocat tuæ,

J felix: aderit DEVS,
Successusq̃ benignus dabit optimos.

EVTERPE.

Laudabunt alii præstantem fortibus armis
Æacidenue, vel Hectora magnum.
Fortis vterq̃ solum patrium defendere tentat;
Jlium huic, sed Græcia curæ
Est illi; commissa fuit sæpe ardua pugna,
Nec vicit pars illa vel illa.
Sorte illos etenim dubius Mars excipit æqua,
Datq̃ pares certamine vires:
Atrocis donec captus Priameius Hector
Jnsidiis occumbit Achillis.
Hæc laudent multi, sectentur & horrida bella,
Mittant millia multa sub Orcum.
Atq̃ gerant gladios & cæde & sanguine pingues,
Hincq̃ petant memorabile nomen.
Tempora mi innumeris pacis potiora triumphis,
Sint Leges, sint iuraq̃ salua.
Libera, parca, hilaris. sese contentaq̃, vita,
Vita mihi vsq̃ probatur & vsq̃.
Atq̃ extent, quibus ingenuas perdiscere Musas
Cura sit; Estq̃ vel inde petendus

Insignis

Insignis famæ splendor; potiora videntur,
Et meliora ea prælia nobis.
Et, si non maior, surgit par attamen inde
Gloria, huic, quæ fortibus armis
Parta datur: fortisq; viri tulit arma disertus
Olim; tunc neq; corpore robur
Spectatum magis est, artis quàm copia diues,
Atq; animo prudentia rerum.

POLYMNIA.

O cœlum DEVS & regis
Qui terram, atq; bonus, bonas
Artes, ne penitus ruant,
Seruas, & superesse vis
Illas qui doceant probè,
Et pariter discant benè,
Hac ætate hominum mala,
Quæ se non patitur regi
Sanctis legibus, vt bonis
Vel rebus studeat, suam
Nec doctis tribuit viris
Laudem, spernit at hos furens.
Non te non moueat furor
Tantus summe DEVS, nec his
Nos priues ideò grauis

Iratusq̃ bonis: Viri
Plus vno celebres super
Sint seclo; doceant Scholis,
Et mentes iuuenum rudes
Doctrina expoliant, decus
Virtutisq̃ oculis prope
Tentent subiicere: hac via
Non vni patriæ modò,
Sed multis populis salus
Acquisita datur; magis
Quàm si quis gladio potens,
Defendat patriam suam.

MELPOMENE.

Mille igitur SEDINVM
Expetit votis, venias & properes venire:
Quiq̃ tenet SEDINO
Inclytus DVX, pacis habens nomina,
Hoc cupit vnicè, (summa sceptra,
Dum videt prodire Scholis, consiliis hone-
Atq̃ bonis iuuare (stis
Qui queant aulas, fera vel bella mouenda
Tempore sint, vel arma (belli
Pace sint ponenda; suo & sunt in honore Leges.

Experiêre

Experière summam
Gratiam, promptumq́ animum Principis, &
Nec dubites quis Urbis (fauorem.
Sit status, doctas tenet hæc, atq́ tuetur artes.
Arte quibusq́ multa
Mens nitet, laudes tribuit talibus atq́ honores.

TERPSICHORE.

Non ergò patiaris patrias esse diutius
Terras de reditu sollicitas, atq́ mora tua.
Virtus cognita eis sat tua, tandemq́ vident malis
Edocti propriis, & melius nunc sapiunt malis.
Nam quos antea dimittere visum fuerat viros,
Hos accersere, versa vice, nunc mens melior iubet.
Non sic ingenuis artibus, atq́ egregiis viri
Factis conspicui, proueniunt tempore quolibet,
Autumno veluti cùm capiuntur viridi arbore
Fructus eximii, implentur & hinc horrea frugibus.
Idcirco patriæ subuenias, namq́ eget hæc tuis
Iamdudum auxiliis: gloria maior tibi surget hinc,
Quàm fortè Æacides sanguine multo peperit sibi,
Et CHIRON nihil est, quòd rutilo conspicitur polo,
ORION Nùe etiam. Sed sua constet veterum fides
Dictis, atq́ sui dentur honores meritis benè.
Dat maiora viris præmia doctis DEVS optimus:

Jn cœlum recipit; ſancta facit conſpicere agmina
Sanctorum, angelicos atq; choros; inde DEI frui
Conſpectuq; λόγου, tumq; ſacri Flaminis: Et velut
Sol lucet nitidus, Lucifer aut ceu rutilus micat,
Fient conſpicui lumine, magnis & honoribus.

VRANIE.

Siſte gradus adeò celeres Phœbe optime, ſiſte,
Sit mora parua tibi.
Nam venient citius ſpe noſtra frigora acerba,
Et glacialis hyems.
Et ſatis eſt aſper terris nimboſus Orion,
Surgit vt altus aquis.
BERGIVS ecce iter ingreditur, veterisq; Sedini
Mœnia clara petit.
Si nunc Phœbe faues Muſis, nitidiſſimus orbe,
Cuncta calore foue.
Nec purum moueant ſubeuntia nubila cœlum,
Nec fluat imber aquis.
Tuq; Iouis qui nomen habes, promptusq; iuuando es,
Tuq; benigna Venus,
Adſitis, veſtrasq; precor coniungite vires,
Numina fauſta, bonas.
Omnibus vt numeris perfectaq;, lætaq; poſſit
Surgere in orbe dies.

Nec

Nec credo quòd ſit lux gratior vlla futura,
Gens Pomerana tibi,
Hac qua conſpicuus virtutis & artis honore
BERGIVS adueniet.
Nam tua vota vides rata, proceſſitq; benignè
Res, bonitate DEI.
Conſilius faueo veſtris, rebusq; ſecundis,
Fauſtaq; cuncta precor.
Agnoſcas modò grata viros, quos optima donant
Numina præcipuos.
Sic fiat, ſedes ſi fortè relinquere auitas
Fata Deusq; velint
Pieridum cœtum; multi Pomeranidos oras
Nos ſubiiſſe putent,
Non auerſatas rigidam tendentia ad Arctum
Horridiora loca.

HÆc ſunt, quæ cithara cecinit diuinus Apollo,
Applauſuq; nouem læto excepêre ſorores.
Et referenda mihi, veluti mandata, fuerunt,
Talia ne rigidus contemnere iuſſa viderer.
Nomine quæ noſtro tibi, vir doctiſſime, grata
Muſarumq; reor fore, quæ dignantur honore
Te tali, vt comitesq; viæ, ſociæq; laborum

Eſſe

Esse velint, operasq; iuuare fideliter omnes.
Et meritis debere tuis me plurima summis
Agnosco, studeoq; vel hoc ostendere mentem
Exili scripto gratam, memoremq; futuram
Illorum quæ præstitit officiosa voluntas.
I felix, doctasq; orbem patrium inuehe Musas,
Aspiretq; tuo DEVS & fortuna labori.

FINIS.

ALIVD.

ALIVD.

DVm nostram blando peregrina negocia mentem
Phœbi eximunt commercio:
Phœbus vt indignans, & turba nouena vicissim
Me deserentem deserunt.
Semina Doctrinæ sterilescere sentio, fidis
Commissa sulcis pectoris:
Venaq; subducto Musarum rore fathiscens,
Mì denegat vim carminis.
Lauus ego, tantum placidi quoq; Numinis iras
Valere non putaueram.
Ergo parum dextro cape carmen Apolline ductum,
Præceptor ô doctissime.
Dulcius expectans, mea desueto ora fluore
Cùm iam Camœnæ proluent.
Mitior & Phœbus reuocatos corde calores
Heliconios accenderit.
Qui nunc (ecce) sua numeros animarier aura
Vix passus est hos pauculos.
Nec fecisset enim, nisi eos, doctissime BERGI,
Dixem tibi pararier,
Cui doctæ ex Lauro meditantur serta Camœnæ,
Aptanda fronti candidæ.

Si

Si modò parua tuis mora non contraria cœptis
BERGI foret doctißime.
Eia, age, ſiſte gradum, neq; tam pluuialibus aſtris
Cœloq; eas tam turbido.
Jam cum prata ſuis ſerus viridantia canis
Aſpergit annus frigidis:
Turbidus & Boreas toruo ſtagnantia ſtringens
Frenat fluenta flamine.
Sed tibi Patriæ amor, quo nunc incenſus es, ingens
Tantos honores inuidet.
Teq; Helicone vocans, Muſarum ex agmine, & (ipſo
Phœbi trahit conſortio.
Nec potis iſta tua in patriam officioſa voluntas
Vllo impediri munere.
Non, ſi te fruſtra conati auertere cœptis
Tentemus omnes machinas.
Ergo pius patriæ quo te pertraxerit ardor
Chriſto ſequaris auſpice.
Sic iter incolumis ſuperes, ſtipatus amicis
Cœleſtis aulæ nuncius.
Sic Deus ipſe tibi in Pomeranæ puluere pubis
Adſit docendæ iugiter.

Gabriel Schvveder
Coſslinenſis.